

servate, si pati scandalum non vultis aut facere. Hoc responsum retuli ad matrem, eique sufficit nec dubitavit esse obediendum. Hoc etiam nos secuti sumus. Sed quoniam contigit, maxime in Africa, ut una ecclesia vel unius regionis ecclesiae, alios habeant sabbato prandentes, alios ieiunantes; mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorundem¹ populorum congregatio regenda commissa est'. Huc usque. Ubi hic inquisitio est, utrum sabbato ieiunandum esset, an more Mediolanensis prandendum, non mihi videtur velle significare ieiunium, quod fit a carnis (sic) abstinencia et sine discretionem horarum reficiendo, sed illud quod protrahitur usque post meridiem. Hanc discretionem sanctus Gregorius aperit, cum dicit²: 'Idcirco convivium Dei non prandium sed cena nominatur, quia post prandium cena restat, post cenam vero convivium nullum. Quapropter, qui modo precipiunt secundum auctoritatem Innocentii sabbato die³ ieiunare, et idipsum ieiunium agere in abstinencia carnis sine discretionem horarum, videtur nobis aliter commendare illud, quam ipse commendasset, precipue cum dicat, secundum normam parasceves et sancti sabbati ieiunandum'.

Proposui duos metatus vos rogandos; unum elicui in superioribus, hoc est stationem firmam de consecratione primi mensis. Nunc secundum praesto habemus, hoc est de ieiunio sabbati, utrum vobis placeat teneri morem provinciae, quod placuit sancto Ambrosio, aut interrogari Romanum pontificem, in cuius ecclesia olim mos idem erat. Nescio si adhuc sit. Absit, ut ideo dicam quasi coner resistere ammonitioni episcopi mei in aliquo. Vere ipse nondum aliquid precinuit de ieiunio memorato, sed familiariter a vobis vestrum velle requiro, quia vestrum est omnia inaequalia ad aequitatem reducere. Multa sunt necessaria mihi ad investigandum a vestra prudentia, quae non possum hic titulare. Titulabo in altero pittatio quamvis non omnia, tamen plura. De quibus omnibus iam dudum mihi desiderium manet didasculum invenire, qui me in his instrueret. Et quia prope omnes a fonte Romanae ecclesiae ad nos fluxerunt, illud tendi⁴ animo, ut inde precipue biberem. De fermento, unde collocuti sumus, ut retuli, ita narratum est, dare apostolicum in sabbato ante palmas oblatas populo, quibus non dabat aurum et argentum. Haec narratio frivola videtur mihi esse, quia quod in lectionario dicitur, quando papa fermentum dat, in missali dicitur et in antiphonario, quando elemosinam dat. Sic enim scriptum est in episcopalibus gestis⁵: 'Ab eodem die fecit, scilicet Melciades, oblationes

1) 'eorum' Aug. 2) In Evang. L. III Hom. 36. Ed. Maur. T. 1, p. 1620. 3) 'diei' Hs. 4) So die Hs. 5) Anastas. Biblioth. XXXIII. Migne P. l. 127, 1499.